

30

~~G. W. 27.~~ EX BIBLIOTH.  
NATIONIS HUNGAR.

VITEBERG.

*VI-26.*

SIGNAT. ciōiōCCCCXIII.

Stückzettel erled.  
11. XII. 1949.



DISPUTATIO X.  
ETHICA

85

*De*

IUSTITIA ET  
IURE.

*Quam*

DEO TRIUNO ANNUENTE

In Inclÿta & celeberrima Academia VVittebergenſi,

PRÆSIDE

*Clariffimo & Excellentiffimo Philoſopho*

Dn. M. IACOBO MARTINI,

Logices & Praët: Philoſoph. Pro-  
feſſore publ.

*Proponit*

MAGNUS HÖGH DANUS.

*Ad diem 24. Septemb. Horis Locoq̃ ſolitis.*

VVITTEBERGÆ,

E Typographéo JOHAN. GORMANNI.

---

ANNO, M. DC. XIV.

IUSTITIA ET

LIBER

DE

PRÆTORIS

EXCERPTA

DAVID M. A. G. O. N. O. R. I. N. I.

PHILOSOPHUS

PHILOSOPHUS

MAGNUS HÖGH DANUS

PHILOSOPHUS

PHILOSOPHUS

ET TYPOGRAPHUS JOHANNES GÖRMANNI

ANNO M. DC. LXXII

TA  
te  
tu  
quod  
(a) vir  
ac regi  
lucifer  
reliqua  
sim age  
spectu  
cogniti  
mitten  
nos per  
namur  
officiu  
Aristote  
(a)  
(c)





DISPUTATIO X.

De

IUSTITIA & IURE.

*Continuatio.*

**T**Andem ad Iustitiam, quæ in ordine ab Aristotele observato, postremum inter morales virtutes sibi locum vendicat, devolvimur, non, quod dignitate reliquis cedat; quippè quæ ipsa est (a) virtus excellentissima, & virtutum (b) domina ac regina, quæq; (c) majorem, quàm hesperus & lucifer, sui excitat admirationem: sed quod, cum reliquarum virtutum actiones potissimum seorsim agentem respiciant, iustitia non nisi alterius respectu intelligatur: Tum quòd ad exteriorem ejus cognitionem reliquarum virtutum expositio præmittenda assumendaq; sit: cum prius intrinsecus nos perfici oporteat, quàm erga alios rectè disponamur. Quod posterius cum proprium iustitiæ sit officium, de ea jam, moderante Jehova, & duce Aristotele, paucis dispicere nobis est animus.

(a) Cicero lib. 1. de Natur. Deor. (b) Cic. lib. 3. Officior.  
(c) ut Euripides olim affirmavit.

Thesis



# Thesis I.



Iustitiæ nomen ab eo est, quod (d) vim sistat: quod in ea jus (e) sistatur: quod sit juris status. Apud Græcos interdum nomine concreti vocatur τὸ δίκαιον, quasi δίχαμον: quia δίχα ἐστὶν (f) divisim existit. Grammatici quoque δίκαιον arbitrantur dici τὸ δὲ ἀδὺ ἐχειν: cū τὴ δίκην, iustitia, partes (g) secernat duas & æquales.

(d) Alciatus tit. 1. Insti. (e) Hottoman. c. foris de verb. signific. & Nov. 69. Donell. lib. 1. comm. d. l. Civil. cap. 4. (f) Arist. lib. 5. Eth. Nic. cap. 4. (g) Gel. Rhod. lib. 23. antiq. cap. 15.

## II.

Ipsam verò iustitiam definimus: Δικαιοσύνη (h) ἐστὶν ἕξις ἀφ' ἧς πρακτικοὶ τῶν δικαίων εἰσὶ, καὶ ἀφ' ἧς δικαιοπραγῆσι, καὶ βέλονται τὰ δίκαια, hoc est, iustitia est habitus, quo homines apti redduntur ad agendum ea, quæ iusta sunt, eademq; etiam volunt & agunt.

(h) Arist. lib. 5. Eth. cap. 1. lib. 1. Magn. Moral. cap. 34. & lib. 4. Eudemior, cap. 1.

## III.

In definitionis hujus membris primò omnium sese Genus offert, quod est habitus. Ubi observationem meretur hoc, quod habitus sit genus remotius, proximum autem sit virtus, quæ per habitum intelligitur.

## IV.

Deindè duæ occurrunt differentia, quarum prima quasi effecta Iustitiæ innuit, quæ sunt iustæ actiones, per quas hæc virtus à reliquis distinguitur:

## V.

Alteram subjectum seu principium illius denotat. Nam per Velle aliqui voluntatem, prout ea est subjectum, in quo, intelligunt: alij προαίρεσιν, per quam animi proposito & consilio, constanti voluntate ea agimus, quæ virtuti sunt conformia.

4. Quod



Quod respicientes Jurisconfulti Justitiam (i) definiunt: Justitia est constans & perpetua voluntas jus suum cuique tribuendi.

(i) §. 1. Instit. de iustit. & jur. l. iustitia 10. ff. h. e. & l. bona fides 31. §. incurrit. 1. ff. Depositi. Wesenbec. de stud. jur. recte instituendo, q. 18. Donell. 2. Comm. 1. Controversiam in definitionum generibus dicimus nullam, Wesenbec. in parat. ff. h. t. n. 10. Myns. in instit. h. t. n. 10. Borcholt. ibid. n. 4. Quia Aristoteli ἐξίς nihil aliud est, nisi constantia: quemadmodum eleganter videre est ex lib. 1. Eth. Nicom. cap. 10. & lib. 2. eor. cap. 2. Quod autem & perpetua requiratur secundum Aristotelem in exercenda justitia voluntas patet ex lib. 2. Ethic. Nicom. cap. 4. lib. 5. eor. cap. 8. & cap. 9.

## VII.

Justitia duplex est: Universalis & Particularis.

## VIII.

Universalis justitia, δικαιοσύνη ὅλη, est, (k) quæ omnes virtutes in se continet, de quibus jam egimus.

(k) Arist. lib. 5. Eth. Nicom. cap. 1. & propterea dicitur: καὶ ἀγαθὸν τοῦ πολλὰ ἀκρίβως κρατῆσαι τῶν ἀρετῶν εἶναι δοκεῖ ἢ δικαιοσύνη: καὶ ὁ δ' ἑαυτοῦ ὁ δ' ἑαυτοῦ ὁ δ' ἑαυτοῦ ἰαυμαστός

## IX.

Differt ergo à cæteris virtutibus non re, sed duntaxat ratione. Nam quando virtutes in se, ut habitus animi, animum perficientes, considerantur, virtutes suo nomine vocantur: quando verò ad alterum respiciunt, & erga alterum exercentur, sub justitiæ titulum veniunt.

## X.

Justitia particularis, δικαιοσύνη κατὰ μέρος, est, quæ in distributione & commutatione (l) bonorum sive malorum externorum justam servat æqualitatem, qua unicuique id tribuitur, quod debetur. De qua agendum hic propriè (m) est.

(l) Arist. lib. 5. Eth. Nicom. c. 2. & 3. (m) Schneid. in instit. h. t. n. 3. Myns. ibid. n. 9. Wesenb. in parat. ff. h. t. n. 10.

A 3

Dua

XI.

Duarum illa partium (n) existit: Unā *ἀναλογικὴν* commutativa; altera *συναλλακτικὴν* commutativa vel *διορθωτικὴν* correctiva dicitur.

(n) *Arist. lib. 5 Eth. Nicom. cap. 2. lib. 1. Mag. Moral. cap. 34. lib. 4. Eudemior. cap. 2. Plato lib. 6. de ll. & Isocrates in Areopagitico.*

XII.

Illa proportione Geometrica (o) præmia & pœnas distribuit, ideoq; definitur: *Justitia distributiva* est, quæ in distributione honoris, pecuniæ, item laborum officiorum & pœnarum, & aliorum bonorum & malorum externorum, quæ inter cives tribui solent, & dignitatis personarum & æqualitatis rerum rationem habet, atq; quid singulis pro eorum merito tribui debeat, decernit.

(o) *l. medicos 6. in fin. C. de Profess. & l. ult. C. de stat. & imagin. & l. Padius 4. ff. de incendijs, naufrag. ruin. Quid verò sit utraq; proportio. vide apud Aristot. lib. 2. Eth. Nicom. cap. 6. li. 2. Eud. cap. 3.*

XIII.

Commutativa justitia Arithmetica proportione in contractibus lucrum & damnum moderatur.

XIV.

Hæc pro duplici commutationum & contractuum, circa quos versatur, differentia, duplex est: Nam alia commutatio fit in contractibus spontaneis: alia in invitis.

XV.

Contractus spontanei sive voluntarij sunt, qui fiunt contrahentibus utrinq; consentientibus: Ut sunt Emptio, venditio, mutuatio, commodatio, sponsio seu fidejussio, depositio, locatio, conductio.

XVI.

Contractus inviti sunt, in quibus alter contrahentium consentit, alter verò non: Ideoq; *Synecdochikῶς* sic dicitur, non ratione agentis, qui spontè agit, sed patientis respectu.

XVII.

Ubi notandum venit, quod Jurisconsulti contractus invitos

vitos no  
contract  
Verum n  
re pro qu  
gentes &  
in volun  
test injuri  
  
Con  
lenti. Illi  
cujus gene  
servorum  
sunt, qui  
sunt vulne  
lia, &c.  
  
Quæ  
tas: cum vi  
(p)  
Mag  
  
Affir  
tia sit aqua  
plus verò &  
jam definit  
quàm eode  
(q)  
rist.  
6. (s  
lib.  
  
Justiri  
bendo dedu  
risconsultis  
rumq; hic ex  
quemadmo  
tulle cernim



vitos non soleant contractuum nomine appellare : cum definitio contractus requirat, ut mutuus inter contrahentes sit consensus: Verum nos hic vocabulum *συναλλάγματ* & cum Aristotele late pro quavis communicatione & compensatione, quæ inter agentes & parientes solet existere, accipimus : quoniam non solum in voluntarijs, sed & invitjs contractibus, alteri parti fieri potest injuria.

### XIX.

Contractus inviti duplexes sunt : vel clandestini : vel violenti. Illi sunt, qui fiunt in occulto, altera parte plane ignorante : cujus generis sunt furtum, adulterium, veneficium, lenocinium, servorum sollicitatio, occulta cædes, falsum testimonium. Hi sunt, qui alteri parti per violentiam obtruduntur : Cujusmodi sunt vulneratio, vincula, mors, rapina, convitium, contumelia, &c.

### XIX.

Quæri potest, anne Justitia particularis etiam sit mediocritas : cum virtus generatim definita sit (p) per mediocritatem.

(p) *Arist. lib. 2. Eth. Nicom. cap. 6. lib. 6. eor. cap. 2. & 13. lib. 1. Mag. Moral. cap. 4.*

### XX.

Affirmativam facile tueri possumus sententiam : cum Justitia sit æqualitas, æqualitas verò inter plus & minus (q) consistat : plus verò & minus continentur una voce (r) injustitiæ : quæ etiam definitur (s) *ἐξ ἰσ. ἀφ' ἧς ἀδικῶσι καὶ βέλονται τὰ ἀδίκαια* : quàm eodem modo, ut justitiam distribuimus.

(q) *Arist. lib. 2. Eth. Nicom. cap. 6. lib. 2. Eudem. cap. 3. (r) Arist. lib. 5. Eth. Nicom. cap. 3. Piccol. in Philosoph. Moral. gr. 4. cap. 6. (s) Arist. lib. 5. Eth. Nicom. cap. 1. lib. 1. Mag. Moral. cap. 34. lib. 4. Ethic. Eudem. cap. 1.*

### XXI.

Justitiæ effectus quodammodo est ipsum Jus, quod (t) à jubendo deducitur, ut quibusdam videtur. Agemus hic cum Jurisconsultis (u) qui jus à causa sua derivant, quæ justitia est : eorumq; hic explodimus sententiam, qui justitiam à Jure deducunt : quemadmodum Vallam (x) & nonnullos alios Grammaticos statuisse cernimus.

(t) *Rodol.*

(c) Rodolphus Agricola lib. 1. de invent. cap. 5. (v) Ulpian. l. 1. ff. de iustit. & iur. Nov. 69. Donell. in Comm. de iure civil. lib. 1. c. 4. per totum. (x) lib. 6. cap. 36. Hic enim iam non nominis notatio, sed ipsa res consideratur, & potius Logices est quam Grammatices Cont. 2. subject. lect. 6. Gothofred. ad d. l. 1.

XXII.

Verissima enim est ratio, quam addunt Jurisconsulti (y) in iure potiorem habendam esse rationem rerum, quam verborum.

(y) l. 3. §. conditio. ff. de adimendis legatis. & l. scire leges. 17. ff. de legib. & l. 2. in fin. C. communia de legat. & l. juris gentium 1. §. utrum, aut 1. ff. de pactis Oldendorp. ff. de iust. & iur.

XXIII.

Jus Aristoteles (z) duplex facit: aliud ἀπὸ λῶς & dicitur δίκαιον πολιτικόν aliud καὶ ὁμοιότητε, & nominatur δίκαιον οἰκονομικόν. Illud etiam, quod Φυσικόν est, sub civili (aa) comprehenditur, cum praesertim homo sua natura sit ζῶον πολιτικόν. (bb)

(z) lib. 5. Eth. Nicom. cap. 6. lib. 1. Mag. Moral. cap. 34. lib. 4. Ethic. Eudem. cap. 1. (aa) Arist. lib. 5. Eth. Nicom. cap. 7. τὸ πολιτικόν facit vel Φυσικόν vel νομικόν (bb) Arist. lib. 1. Eth. Nicom. cap. 7. lib. 9. eor. cap. 9.

XXIV.

Distinctius (cc) agunt Jurisconsulti: & jus aliud dicunt Naturale, quod natura (dd) docuit omnia animalia, aliud Gentium: quod (ee) naturalis ratio inter omnes gentes constituit, aliud Civile, quod (ff) cujuslibet civitatis proprium est.

(cc) In princip. Instit. de iure N. G. & C. & l. 1. §. 3. ff. de iust. & iur. (dd) citatis proximè l. (ee) §. jus autem Instit. de iust. & iure. & l. 1. in fine ff. h. t. Borch. lib. 1. instit. t. 2. §. jus autem (ff) Harmenop. lib. 1. Epit. tit. 1. §. jus autem civile Instit. de iure N. G. & C. & l. omnes populi 9. ff. h. t. Iason d. l. omnes populi n. 4. l. 9. Verbo ipsius Civitatis ff. h. t.

XXV.

Juri contrariatur injuria. Ubi notetur, quod injuriam facere sic ἐκγείον τι, injuriam (gg) pati, ἀκείον τι. Unde intelligitur, 1. quod nemo spontè patitur injuriam. 2. quod nemo sibi ipsi (hh) injuriam facere possit: cum nemo simul volens agere, nolens

nolens actionem recipere possit : quippe quod per se est impossi-  
bile.

(gg) Arist. lib. 5. Eth. Nicom. cap. 9. (hh) Arist. ibid. cap. 11. &  
lib. 1. Mag. Moral. cap. 34. & lib. 4. Eudemior. cap. 9. C. inquit :  
Nemo membrorum suorum est Dominus : Vlpian. in l. homo. ff. de  
l. aquil. Imò punitur, qui seipsum ledit, Grammat. decisio. Neopo-  
litan. 44. Menoch. de arbitr. judic. quæstion. lib. 2. cent. 3. casu  
284. Br. in l. 1. §. usq; adeo de injuriis, & in l. transigere n. 17. C.  
de transact.

### XXVI.

Cæterùm ut eo facilius justiciam exercere possimus, sem-  
per leges in conspectu & memoria teneamus : Judex quoq; non  
ex propria, cùm de jure & justitia disceptatur, statuet autoritate,  
sed (ii) secundum leges : quippè quæ affectibus carent, adeoq;  
(kk) erga omnes se habent æqualiter, corrumpi precibus, pro-  
missis, minis non possunt. Hinc rectè dicitur Magistratus νομο-  
φύλακες καὶ ἐπιτηδέται (ll) τοῖς νόμοις : item Φύλακες τῆς δικαίας  
καὶ τῆς ἰσῆς : quia justitiæ rationem & æquitatis habere (mm) sem-  
per debent.

(ii) l. omnes 6. C. si contra jus vel util. publ. & l. nemo 1. C. ut o-  
mnes jud. tam civ. quàm mil. & l. subtilitatem 11. C. de judicijs,  
& l. alio jure 4. C. de vi litem jurando, & l. ampliorem 39. §. sed  
enim 2. C. de appell. & consult. & l. nemo judex 13. C. de sentent.  
& inter l. omn. jud. (kk) l. si quis 15. §. sancimus l. c. de contrahen-  
da & commit. stipul. (ll) Gob. in comp. Eth. lib. 5. cap. 9. (mm)  
l. placuit. C. de judicijs & l. nemo judex. 13. C. de sentent. & inter h  
omn. judic.

### XXVII.

Æquitatis, inquam : quippè quæ cum justitia magnam habet  
cognitionem : licet cum ipsa non planè idem sit. Æquitas enim  
magis (nn) laudatur, quàm justitia : est etiam latior (oo) Justi-  
tia pressior deprehenditur.

(nn) Arist. lib. 5. Eth. Nicom. cap. 10. Ostend. de jure scripto, e-  
quo & bono, n. 20. in fine. Alb. Bolognet. de lege, jure, & equitate  
(oo) Oldendorp. in tr. investigande actionis Rub. quid sit equitas,  
Ostend. de jure scripto & a quo n. 26.

B

38. Defi-

## XXIIX.

Definitur ergò *Æquitas*, (pp) quod sit *ἐπανόρθωμα τῶν νόμων ἢ ἐλλείπει* *Ἄξι τὸ κατὰ τὸ νόμον*: correctio, legis seu juris scripti eā parte, quā lex deficit ob suam generalitatem.

(pp) *Arist. lib. 5. Ethic. Nicom. cap. 10. lib. 2. Mag. Mora. cap. 1. lib. 4. Eth. Eudem. cap. 8. lib. 1. Rhetor. ad Theodect. cap. 13.*

## XXIX.

Ex qua definitione origo veritatis facile intelligitur: nempe quòd oriatur ex juris scripti defectu: qui fit partim propter rerum varietatem & vicissitudinem: partim propter legis formam, quæ (qq) generalis est.

(qq) *l. formam 2. C. de Offic. præfecti. & l. si quis C. de Episc. & Cleric. Ergo nec æquitas specialibus concludi potest regulis l. de access. 14. ff. de diversis temporal. præscript. sed tanquam regula Lesbia nunc erecta, nunc obliqua est, Arist. lib. 5. Ethic. Nicom. cap. 10. Oldendorp. in tr. de formula investigandæ act. Rub. quid sit æquitas. Budor. l. 1. in princ. ff. de l. & l.*

## XXX.

Æquitati repugnant duo: 1. Est *ἀνεπιβόδιαιον*, Jus strictum (rr) seu summum jus: quando simpliciter verba legis urgentur, & nulla planè benigna admittitur verborum interpretatio, nec legumlatoris voluntas spectatur: atq; tunc rectè dicitur: Summum jus summa sæpè injuria est,

(rr) *l. nulla juris 25. ff. de ll. per strictam jus non strictum intelligimus, sed juris scripti præduram & ab humanitatis regula alienam interpretationem. l. placuit 8. C. de judicijs: quæ & stricta ratio appellatur l. sunt personæ 43. ff. de religiosis: & juris apices l. si fideiussor 29. §. quadam 4. ff. mandati: & mera actio l. etsi quis 14. §. idem Labeo 13. ff. de religiosis: & verborum subtilitas l. si tibi 20. ff. de rebus creditis.*

## XXXI.

2. Alterum est *συνοφάρτια* callida & malitiosa scripti juris interpretatio, quæ à Juris vocatur calumnia.

Hæc de Justitia & Jure hoc loco dicta sufficient.

PRO

# Problemata.

## I.

**A**N *Justitia rectè dicatur ἀγαθὸν ἀλλότριον, hoc est, proprium ejus esse, ut sit virtus ad alterum. Affirmamus cum Philosopho lib. 5. Nicom. cap. 4. Objicis. Beneficentia & amicitia, item liberalitas & nonnullæ aliæ virtutes circa alterum versantur. Respondetur: Proprium justitiæ est, ut sit ad alterum, reddendo ei jus suum: Prædictæ verò virtutes habent quidem, ut sint ad alterum, sed non respiciunt jus legale alterius.*

## II.

*An possit tolerari divisio Justitiæ in Universalem & Particularem. Distinguiur.*

## III.

*An Justitia versetur solum inter equales, ut aperte docet Philosophus lib. 5. Eth. cap. 6. Affirmamus id cum eodem Aristotele, loquente de Justitia, quæ ex jure civili non divino vel naturali extitit: Intelligimusq; æquale, non quod unus non sit dignior altero: sed quod inter eos sit vicissitudo quedam, ut alii modò imperent, modò pareant, quales sunt cives. Negamus igitur cum Aristot. Justitiam esse inter eos: qui non sunt cives: civesq; appellamus omnes homines liberos, qui possunt in unam civitatem vel societatem coire, quamvis non coeant.*

## IV.

*An sit verum, quod Aristot. tradit, eodem libro & cap. all. Non esse Justitiam Patris ad Filium, heri ad servum, Viri ad Vxorem, nec Jus Patris in filium, aut heri in servum, aut mariti in uxorem, esse justitiæ. Resp. Revera Justitiam, quæ est Juris Civilis, inter hos, quatenus tales sunt, propriè & simpliciter non esse, hoc est secundum leges & jura civilia*

qua patriam potestatem in filios familias constituunt, & non esse Iustitiam, nisi tanquam ipsa leges & jura civilia decernunt: quia Pater & filius sunt quidem duo homines: sed dubitari non potest, quia filius familias sit aliquid patris secundum leges, nimirum filius ejus: quia genitus ab eo; & proinde debet ei honorem, obsequium & alimenta. Et filii quoque ad patrem pietas, cujus vinculum est arctius & strictius, quam sit vinculum Iustitiæ civilis, & proinde Injuria filii in patrem est impietas, nimirum gravior & deterior culpa, quam sit injustitia: & pater quæ pater est, filii est genitor, unde debet eum educare & instituere: qua sunt pietatis & non justitiæ opera & officia. Quia igitur filius ut filius, est aliquid patris: ejus ad patrem, vel patris ad ipsum justitia secundum leges & jura civilia non est: Quia secundum leges Pater & filius una persona censentur: & quod datur filio, patri datum videtur, & injuria facta filio, patri illata existimatur. Dominus quoque & servus duo homines sunt: sed servus secundum leges & jus humanum civile, quatenus servus est aliquid Domini est, quia à Domino possidetur, & Domino acquirit, & injuria, qua fit servo & dominum, quod ei infertur, fit & infertur Domino. Maritus item & Uxor dua persona sunt, sed una caro Gen. 2. & Matth. 19 Unde Uxor est aliquid viri, & proinde secundum leges & jura civilia, injuria facta uxori, viro facta censetur.

V.

An inter Dominum & servum, inter filium & patrem, inter maritum & uxorem, quatenus homines sunt, proprie sit Iustitia. Omnino est quadam justitia, qua ex Jure divino & naturali pendet: non tamen ea, qua secundum leges & jura civilia constituitur.

6. An

V I.

An fieri queat, ut quis injuriam faciat, & nemo sit, qui injuria afficiatur. Id fieri potest. Nam si quis vendiderit pluris quàm valeat res, vel emerit vilius, injuriam facit, & tamen si Titius sciens vel volens carius emerit vel vilius vendiderit, injuria non afficitur: quia scienti ac volenti non fit injuria. & nemo volens injuriam patitur. Item si Titius sponte suâ lucrum ex mutuo dederit Cajus usurario, aut centum aureos latroni, minanti necem, aut fundum Tyranno, eum iniquè vexanti, non patitur injuriam: quia volens dat lucrum & centum aureos & fundum, & tamen Cajus usurarius & latro, & tyrannus injuriam faciunt.

V I I.

Utrum in iniqua distributione potius ipse, qui plura, quàm debet, alteri tribuit, an verò, qui plura accipit à distribuente, injustus sit appellandus: prius affirmatur.

V I I I.

Num qui sibi ipsi manus insert, sibi injuriam faciat, cum Plato lib. 4. de Rep. scribat, neminem posse alteri injuriam facere, nisi prius fuerit erga seipsum injustus. Negatur.

V I I I I.

Utrum peius sit facere, an pati injuriam. Prius, affirmatur.

V I I I I I.

An usurae sint prohibita. Distinguitur.

V I I I I I I.

An injuria, damnum & peccatum sint causa legum per se. Negatur.

V I I I I I I I.

An jus cadat in bruta. Affirmant Jurisconsulti, qui jus naturale definiunt, quod natura omnia animalia docuit lib. 1.

lib. 1. Instit. tit. 2. Negat Aristoteles, qui solis hominibus illud assignat. Sed res est expedita. Loquitur Philosophus proprie de jure naturali, quod est regula, ratione & voluntate concipienda: illi per Metonymiam Effecti pro causa loqui videntur.

XII.

An jus naturale sit mutabile. Negat Philosophus lib. 5. Eth. Nicom. Et quidem per se nunquam mutatur: licet in certis gradibus per accidens contrarium contingere appareat.

XIV.

An jura divina, nempe moralia illa, sint immutabilia. Sunt, quippe continentia immotam justitiam Dei.

XV.

An Christianis Ethnicorum legibus uti liceat. Omnino. Evangelium enim non abolet politias. Matth. 22. v. 21. Marc. 12. v. 17. Lucæ 20. v. 3. Et ipse Apostolus Paulus ad Cesarem appellat Act. 21. v. 3. 4. Jeremias jubet, ut Judei exulantes in Babylone, pro Rege Babylonicopresententur: id quod etiam Paulus precipit ad Timoth. 4.

F I N I S.



*Nobilissimo & doctissimo Dn. Respondenti,  
amico & populari exoptatissimo.*



Uid genus atq; tuas laudes memorare necessum

Ingenium aut multis condecorare metris?

Nam patet; ipse boni nomen virtutibus æquas,

Nec finis ingenium nobilitate premi.

Justitiam tradis MARTINO Præsidi sacram

Qua sine virtutes dispereunt reliquæ:

Utq; tenax ejus factis dictisq; voceris,

Cum doctis certas fortis in arte viris.

Laudo tuum studium, laudo conamina tanta

Quòd summis tractes dogmata digna viris.

Si porrò Magnis pergas insistere cœptis

Magne tuis, Magnus nomine & omine eris.

Uberiore dehinc tibi crescat nomen honore

Ut patriæ atq; patri gaudia multa feras.

*deproperabat*

*M. Pet. Barth. Kierul.*

*Nobilissimo eidem Respondenti.*

Ὀλίγη ἴδ' ὁ γούλι' ἀρεά πτε νόοντε διειδής

οἷς γδ ὀμῆλι πτεργίς Φήμη ἐς ἄσρα περῶν

**R**es praeclara quidem, sed laus in origine sola,

Ducere ab antiquis nobile nomen avis:

Res prestans itidem, at fraudo Mars intonat ære,

Propatria rigidos Martis adire lares,

Totq; feris dubiam vitam obiectare periculis,

Sit vel trita solo, si ve agitata salo,

Tollit at interea, raro sed ad Æthra penetrat,

Ire redux populo victor ovante domum.

**AS**

*Est longum viridi virtus dignissima cedro,  
Virtus Prosapia, dius honoris honor.*

*Cetera succumbant, dicas si, exesto MINERVA,  
Nam occidit orbis honos, Musa negat a rogo.*

*Ὀλβι. ὅτι ὁ γούλι ἀρεά πτε νόοντε διειδής,  
Ὅτις γδ, ὁμῆτι πτεργίς Φήμη ἐς ἄστρα περᾶ.*

*His mihi stipatus tu laudis MAGNE columnis  
Cœlitibus placidis digne beande Dis,*

*Te mihi quis superas deducat honoris ad adeis?  
Perpete quâ pennâ carminis ales ovet?*

*Quem simul illustrant & a vitis fulta triumphis  
Atria, & à priscâ gente propago suâ:*

*Palladio qui Marte potens, & doctus in armis,  
Iustitiam ingenij Marte tueris odans.*

*Sanguinis hoc proavi nonne inclarescere nomen?  
Nominis hoc proprii ne omen honore dare?*

*Sed taceo. iuvat exili quid tincta colore  
Lucida, & in comitis dilacerata metris?*

*Addo tamen: Clariâ porrò infervesce palestra;  
Dignus amore calor, dignus honore labor.*

*Sic tibi ceptus agon tandem, mihi crede, triumphet,  
Dextrâ & victricis parta trophæa feres,*

*Sicq; beatifero te fama sindone pennâ  
Nubtâ aternalis JOVIS inumbret Olor.*

*Ὀλβι. ὅτι ὁ γούλι ἀρεά πτε νόοντε διειδής  
Ὅτις γδ, ὁμῆτι πτεργίς Φήμη ἐς ἄστρα περᾶ.*

*Apponebat*

*Janus Johannes*

*Samius Danus.*

Umg. VI 26


= [Dissertationes  
Theol. Vol. 707]



Sb.

VD 17





PUTATIO X.  
ETHICA

85

*De*  
TITIA ET  
URE.

*Quam*  
IUNO ANNUENTE  
prima Academia VVittebergenſi,  
PRÆSIDE  
*Excellentiſſimo Philoſopho*  
ACOBO MARTINI,  
Pract: Philoſoph. Pro-  
fſſore publ.

*Proponit*  
HÖGH DANUS.  
*Septemb. Horis Locoꝝ ſolitis.*

TEBERGÆ,  
JOHAN. GORMANNI.

NO. M. DC. XIV.